



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe


AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

cap. 10. Ostenditur, quàm abritraria sit lex, quâ asseritur, quòd sine
Contemplatione nemo quisquam pertingere possit ad Perfectionem;
consequi nimirum finem præcipuum, qui per Orationem quæritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

corda ad DEUM perducerent: propterea, quòd tali in re amare sensibile ut medium, nunquam reputatum sit malum hominibus, ut nos sumus, obnoxiiis sensui, malum fuit amare hoc ut finem. Donec igitur Ecclesia pronuntiet; pugnare cum perfectione christiana instaurare interdum suaviter affectus pios amoris DEI, oblationis, obsequij, cavebo diligenter ne fidem habeam audacter sic scribenti. *Hoc est relinquere fontem pro rivulis; obtutum inquam fixum in DEUM, pro aliquibus leviculis affectionibus, quæ ad aliud non serviunt, nisi ut deflorent pietatem.* Credam potius, sic loqui idem esse ac conari abducere nos à rivis, qui sensim ad fontem perducant.



Caput X.

Ostenditur, quàm arbitraria sit lex, quâ assertitur, quòd sine Contemplatione nemo quisquam pertingere possit ad perfectionem; consequi, nimirum finem præcipuum, qui per Orationem queritur.

I.

Apparet igitur, tam leges, quæ spectant ad objectum Contemplationis, quàm quæ pertinent ad modum contemplandi, prout ab istis afferuntur, plurimum habere de arbitrario. Plus tamen de hoc videntur mihi illæ participare, quæ ad Finem Contemplantis referuntur.

Finis hic est, pertingere ad perfectionem. Et quoad hoc rectè omnino res habet. Sed quid necesse est addere: quòd, si pauci ad metam Christianæ perfectionis pertingunt,

gunt, causa non fit alia, quàm quia pauci se impendunt Contemplationi, maximè Mysticæ; sed solùm operam dant Meditationi? Hoc est sententiam ad arbitrium ferre. Neque enim vel S. Augustinus in longa illa Epistola ad Probam data *de Orando DEO*, neque S. Hieronymus, neque S. Gregorius, nec Sanctorum Patrum alij, qui tantopere commendârunt Orationem, unquam ad sic pronuntiandum progressi sunt. Perfectio Christiana non consistit in Oratione, ut contendebant Hæretici Massaliani, consistit in amore DEI majore aut minore. Qui aliter doceret, admonente S. Thoma, errorem assereret. Oratio tantùm est medium valde præcipuum ad eam acquirendam, ut sunt etiam tria consilia Evangelica.

2. 2. q. 4.
a. 1.

2. 2. q. 84.
a. 1.

Jac. 1.

Omniùm maximè necessaria est Oratio, quæ in petendo consistit: huic enim DEUS, de lege saltem ordinaria, alligavit largitionem omnium gratiarum: *Petite & accipietis.* Ut sic necessitas nobis imponatur cogitandi, quòd omne nostrum bonum proveniat à DEO. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.*

Illa Oratio, quæ Mentalis appellatur, mirum quantum confert; cùm vivo quodam lumine viam hominis dirigat, corrigat Imaginationem, convincat Intellectum, Voluntatem corroboret, & denique hominem avellat ab amore omnium rerum conditarum, efficiendo, ut illa, exemplo Assueri inventa Esthere, divina inquam consolatione, nullam jam porro rationem habeat Vasti, Consolationis nimirum humanæ, tantopere antè amatae, imò ut hujus planè obliviscatur.

Ista autem Mentalis Oratio duplicis generis est, ut jam pluries fuit inculcatum, Meditatio & Contemplatio; quæ

quæ ambæ eò tendunt, ut, quam modo indicavimus, utilitatem animæ afferant, etsi motibus non iisdem. Velle autem ferre sententiam, quòd ad hanc utilitatem consequendam generatim pro omnibus medium aptius sit Contemplatio, quàm Meditatio; aut hæc potius, quàm illa, conatus est & labor, qui difficulter admodum tueatur respectum, non tantum, quem personis debemus & partibus, sed etiam quem majorem debemus veritati.

Si dicatur, Contemplationem magis esse attemperatam statui hominis Perfecti, quàm statui Proficientis, aut Incipientis, rectè id asseritur. Contemplatio enim, quæ S. Gregor. l. 6. mor. c. 17. est felix illud sepulchrum, in quo quiescit Anima Munda mortua, naturâ suâ exigit ingentem cumulum meritorum, quem habere oportet ante, quàm quis ad illam admittatur: *Ingredieris in abundantia sepulchrum.* Si autem è diverso dicatur, ad statum Perfectionis etiam à multis non posse perveniri meditando, id omnino falsum est. Quod enim Concilium, quis Canon, quæ schola hanc sententiam pronuntiavit? Ne quidem necessarium ad consequendam Perfectionem medium est, sequi Consilia Evangelica; ut manifestè nos docet Ecclesia, dum Sanctorum in numerum refert tam multos, qui liberi omni nexu Votorum, Domini magnarum opum, Patres familias, mortui sunt in suis toris Conjugalibus: & sit medium necessarium impendere se & addicere Contemplationi, & maxime illi Contemplationi, quæ Mystica dicitur? quam vix invenire sit, nisi in Animabus, quas fortasse rariùs detur invenire in Mundo, quàm Phœnices.

Si ita est, jam profectò Perfectio Christiana non potest obtineri à quolibet, etiam, qui Consilia Evangelica sequatur. An non enim in hoc communi judicio planè

R

omnes

Serm. 4.
de Cir-
cumcis.

omnes consentiunt; Contemplationem ejusmodi esse donum gratuitum; quod DEUS nulla certa lege conferat, cui vult, quando vult, & quantum vult, & sicut vult, & quod nemo, quocumque demum adhibito spiritus conatu certò illud consequi possit, donec mortales has exuvias ponat. *Multi totà vitâ suâ ad hoc tendunt, sed non pertinent, quæ sunt Melliflui Doctoris verba: Quibus tamen si piè & perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur, quod in hac vita dispensativè est negatum, illuc perducente eos solâ Gloriâ, quò tendebant ipsi cum gratia.* Quomodo igitur in arbitrio & potestate cujusquam erit, licet ipsa adimpleat Consilia Evangelica, consequi perfectionem, si nulla ratione in ejus manu est illud medium, sine quo Perfectio obtineri non potest? An est, qui speret videre sine oculis, audire sine auribus, volare sine alis? idem est in re nostra.

II.

S. Teres.
Itin. Per-
fect. c. 17.

Sed nec ego è diverso affirmârim, Meditationem strictè sumptam, medium esse ex genere suo necessarium ad perfectionem obtinendam. Censo enim rudiores quosdam hac in vita animas, si modò se DEO nulla non die toto ex animo commendent, ipsas quoque eò pertingere posse, ut id solùm velint, quod DEUS vult, utque id ipsum velint, quia DEUS vult: qui, si vehementer non fallor, ille est apex supremus Perfectionis, ad quem aspirare possumus. Istud tamen asseram sine hæsitatione, generatim loquendo, Meditationem esse medium longè efficacissimum, non minùs quàm sit Contemplatio, cum oppositum nullâ vel auctoritate vel ratione, quæ vim aliquam præferat, possit demon-

demonstrari. Quin imò video S. Tereſiam, ubi Meditationis ſpecimen his verbis proponit: *Præſigimus nobis ad Meditandam partem aliquam Paſſionis, qualis eſſet comprehenſio Chriſti in horto, & in hoc puncto examinamus, quæ in eo continentur &c.* mox ſubjungere; *Orationem ejusmodi eſſe valde mirabilem & meritoriam.* Inde dicit, neſcire ſe unde proveniat, ut, qui ad ſublimem Contemplationem pervenit, illâ uti non poſſit: niſi fortè ex eo, quòd Anima tunc intelligat iſta Myſteria modo perfectiore, ſolo ſcilicet obtutu. Quando tamen excidit unquam S. Tereſiæ, quòd Homo meditando ad perfectionem non poſſit perſtingere?

Adverto tantùm, quòd iſti alij pro ſua contraria doctrina adducant experientiam, dicendo; *Multos poſt quinquaginta annos exercitationis hujusce exterioris (ſic illi Meditationem contemptim appellant) manere inanes DEO, & plenos ſe ipsis, cùm de Spirituali, præter nomen nihil habeant.*

Si argumentum hoc deſumptum ab experientia, ſolum in hac cauſa deberet habere pondus potiſſimum, non deſſent aliqui, qui mox illud contra eos, qui ſic loquuntur, retorquerent, & ſimile quid de Contemplantibus poſt tantundem temporis ſpatium affirmarent.

Ego tamen illud non retorqueo: hæc enim foret ratio arguendi in ordine ad propoſitum magis exemplo noxia, quàm ſalutaris; præterquam quòd æquitas non admittat, ut nonnullorum animoſitas noceat tam multis bonis, qui hîc extra omnè culpam ſunt, imò quibus ea nõ parvo dolori eſt.

Dicam tantùm; Experientiam hîc parum valere; cùm defectus illi, qui tribuuntur Meditanti, inveniri etiam poſſint in Contemplante: & defectus, quos notamus in Contemplante, reperiri etiam poſſint in Meditante; omnes enim eodem ex luto ficti ſumus. Defectus tamen ipſi non Artis ſunt, ſed Artificis. Unde ſicut Contemplans reſpon-

det; quòd non idcirco damnanda sit Contemplatio, quia aliqui, qui certo consilio illi addicti sunt, prodeunt subinde Homines sui iudicij tenaces, intolerantes injuriarum, asperi, & inimici laboris; cùm totum hoc ex eorum vitio nascatur. Ita non minùs respondebit Meditans, si audierit, reos non paucorum defectuum agi eos, qui diu Meditationi operam dederunt.

In hoc igitur genere potiùs dicendum, sicut affirmari non potest, quanam tandem naves desideratum ad portum certiùs perveniant, illæne, quæ expansis velis alto mari provehantur; an verò illæ, quæ remis propelluntur, cùm non hæ minùs, quàm illæ mille periculis obnoxia sint, et si diversis; ita nec pronuntiari posse, quinam tandem homines certiùs ad Perfectionis portum perveniant, illine qui vela divini spiritus auræ pandunt in Oratione magis sublimi, an verò qui remis provehantur, mentis conatum & laborem adhibendo?

2.2.q.181 Meditatio, confessione omnium, pertinet ad vitam
a. 2. activam; hæc enim attendit ad extirpationem virtutum et debitam ad normam redigantur actiones exteriores, sive hæ propriam tantùm, sive alienam etiam salutem spectent, qui est totus finis Marthæ. Contemplatio autem refertur ad vitam Contemplativam, quæ id unum sibi præfixum habet, ut DEO præsentem in silentio fruatur, qui est finis Magdalena.

Quare sicut pronuntiari non potest, quanam istarum duarum vitarum majores Ecclesiæ Sanctos dederit, Activæne, an Contemplativa, cùm utraque dederit longè plurimos, ita nec pronuntiari potest, quisnam istorum duorum Orandi modorum, Meditatio an Contemplatio plures dederit,

Adver-

Advertendum tantum erit cum S. Thoma, inter vitas Activam & Contemplativam, mediam esse aliquam vitam, quæ ex utraq; resultat & Mixta dicitur; atque hæc ex genere suo perfectior est, ut omne totum perfectius est singulis partibus, quæ illud constituunt. Hinc Christus non dixit Magdalena, quod optimam ipsa vitam, seu statum; sed tantum, quod optimam partem sibi elegerit, si hæc comparetur cum illa, quam elegit Martha. *Non dixit Dominus de Maria, quod optimum sibi elegit, sed quod elegit sibi optimam partem: melior enim est pars Contemplativa, quam pars Activa.* De cetero, ut ingeniosè pergit observare Cajetanus, totum, quod resultasset ex his partibus melius futurum fuisset, quam singula, *utraq; enim parte melius est ipsum totum.* Hinc S. Franciscum Salesium, solitâ illâ sua suavitate, scripsisse aliquando legimus, quod si ipse præfens adesse potuisset in fortunatissimo illo Bethaniae castello tantum non ausurum se fuisset propius accedere ad duas illas beatas Sorores, & cuilibet earum dicere, ut tantisper partes inter se suas mutarent, sic ut Magdalena sublevaret nonnihil labores Marthæ, Martha autem quietis illius partem caperet, quâ gaudebat Magdalena.

Sicut igitur, ut ad propositum redeamus, est inter geminas istas vitas, Activam & Contemplativam, melior tertia, quæ est vita Mixta, cur non pari modo dicere oportebit, inter celebres istos modos orandi Contemplationem ac Meditationem, tertium esse, qui utrumlibet superet, totum inquam illud Orationis Mentalis, quod Complectitur utramque partem, & Meditandi & Contemplandi, pro temporum & rerum varietate?

Certa res est, quamvis Contemplativa vita ex se indicium sit, quod DEUS affectu sincerissimo diligatur,

R 3

majus

In Com-
ment. ad
2. 2. q. 181
n. 1. ad 3.
Epist. p. 1.
1. 2. Epist.
34.

L. 1. de
Com-
punct.
tom. 5.

majus tamen ejusce amoris indicium esse, relinquere non
nunquam illam pro vita Activa. Unde S. Joannes Chry-
sostomus ponderans ardentia illa Apostoli Pauli verba:
Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.
Aureo ore suo pronuntiavit: Apostolum tam fuisse ebru-
um amore erga suum Christum, ut placendi ipsi studio, ne
quidem pensi haberet ipso frui: *Ita totam mentem ejus de-
merserat amor Christi, ut etiam hoc, quod ei præ ceteris ama-
bilis erat, esse cum Christo, rursus id ipsum, quia ita placeret
Christo, contemneret.*

Eccur igitur non possit nonnunquam provenire ex
majori erga DEUM amore, ut homo deliberata voluntate
omittat contemplari, teneatque se intra fines simplicis Me-
ditationis, quando id majus obsequium DEI ita postulârit,
ratione habitâ gravium curarum, quibus sit occupatus;
ratione habitâ negotiorum familiæ, itinerum, concionum,
aut etiam privationis auræ illius Spiritus Sancti propitiæ,
quâ sine temerarium est velle plenis velis invehî, sed ne-
cesse est aut remo strenuè uti, aut in portu hærere?

Iterum ergo hîc iterumque inculco, quòd, sicut non
potest semper dici, quid expediat, velis an remis uti, ut
ad portum perveniatur, ita neque semper dici posse, quid
præstet ad consequendam desideratam perfectionem, con-
templari, an verò meditari? Addam autem, illud omnibus
aliis melius esse si DEUS dederit, scire navigare pro ratione
ac diversitate temporum. Unde omnes inter naves, quæ
fulcant aquas, magis laudantur, proportionem suâ, & dem-
ptis certis adjunctis, quæ aut remis aut velis provehi
possunt, aut etiam utrisque in portum
propelli.

Caput XI.